



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola IV. Gregorii Papae I. Ad Theodolindam Reginam Longobardorvm.  
De Synodo Calchedonensi, & Constantio episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

EPISTOLA IV.

GREGORII PAPÆ I.

AD THEODOLINDAM REGINAM LONGOBARDÓRVM.

De Synodo Calchedonensi, & Constantio episcopo.

*Gregorius Theodolindæ reginæ Longobardorum.*

**Q**VORVM DAM ad nos relatione peruenit ab aliquibus episcopis gloriam vestram vsque ad hoc scandalum contra sanctam ecclesiam fuisse perductam, vt sese a catholicæ vnanimitatis communione suspenderet. Quod quantum vos pure diligimus, tantum de vobis fortius dolamus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis, qui non solum ea quæ loquuntur nesciunt, sed vix ea percipere quæ audierint possunt. Dicunt enim piæ memoriarum Iustiniani temporibus aliqua contra Calchedonensem Synodus fuisse constituta: qui dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finixerunt. Nos enim, teste conscientia, fatemur de fide eiusdem sancti Calchedonensis Concilii, nihil motum, nihil esse violatum: sed quidquid praedicti Iustiniani temporibus actum est, ita actum est, ut fides Calchedonensis Concilii in nullo vexaretur. Si quis autem contra eiusdem Synodi fidem aliquid loqui presumit vel sapere, nos eius sensum sub anathematis interpositione detestamur. Cum ergo integritatem nostram ex conscientia nostræ attestatione cognoscitis, superest ut nunquam vos a catholicæ ecclesiæ communione separatis, ne tot vestræ lacrymæ, tantaque bona opera pereant, si a fide vera inueniuntur aliena. Decet ergo gloriam vestram ad reuerendissimum fratrem & coepiscopum meum Constantium, cuius & fides & vita bene olim mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere, eique directis vestris epistolis indicare, ordinationem eius quam benigne suscepistis, & quia ab eius ecclesiæ communione in nullo separamini. Quamuis in hac re me vobis superflue dicere arbitror: quia etsi quid in vestro animo dubietatis fuit, veniente filio meo Ioanne abbatte, atque Hippolyto notario ex corde vestro arbitror fuisse sublatum.